

Cap. XLIII. Rubrica de pignoribus non fiendis
pro forense nec pro fideiussoribus eo-
rum. R.ca.

- 5 **P**rohibemus quod nullus civis Tergesti modo aliquo sit ausus
nec presumat facere pignora aliqua pro aliquo forense,
nec cum eis ire ad pignorandum sine licentia potestatis iudi-
cum vel rectorum civitatis Tergesti qui pro tempore fuerint,
sub pena // vigintiquinque libr. par. pro quolibet contrafatiente, 266 B
et nichilominus restituere teneatur totum id quod de ipsis
10 pignoribus habuerit; de vassalis vero sit in libertate potestatis
vel iudicum predictorum; non liceat vero potestati iudicibus
vel rectoribus Tergesti dare licentiam alicui civi facere pi-
gnora pro aliquo forense, nec associare aliquem forensem ad
fatiendum aliqua pignora, sine licentia maioris consilii, et
15 nisi ipsi tres iudices vel rectores concordēs fuerint de pre-
dictis, auctoritate maioris consilii precedente. ¶ Preterea si
quis se constituerit fideiussorem vel principalem debitorem pro
aliquo forense, quod ipse per se nec cum consensu domini
vel consilii maioris Tergesti modo aliquo ingenio sive causa
20 possit nec valeat facere aliqua pignora super bonis illius pro
quo se constituisset fideiussorem vel debitorem, sub pena vi-
gintiquinque libr. par. pro quolibet contrafatiente et vice qua-
libet contrafacta, et nichilominus ipsa pignora restituat sine
remissione, nec eidem per consilium vel comune modo aliquo
25 detur consilium vel iuvamen.

Cap. XLV. Rubrica quod nullus civis Tergesti
contrahere debeat debitum nec fideius-
sionem aliquam pro forensi.

- 30 **C**ontradiciamus statuentes quod nullus civis Tergesti modo
aliquo sit ausus nec presumat facere fideiussionem ali-
quam vel securitatem pro aliquo forense, nec debitum aliquod
facere seu contraere pro ipso forense, et si quis contrafecerit et
peteret coram dominio Tergesti sibi dari pignora aliqua occa-
sione predicta, quod per comune Tergesti eidem aliqua pignora